

inchoatum est; sed per litis contestationem, seu lapidem angularem inchoatur iudicium; ergo.

R. Ad 1.^m Ne inter c. 19. et 20. h. t. admittatur contrarietas, ut eam admittunt Abb. Dec. Felin. et alii, dicendum est, quod in secunda parte cit. c. 19. litis contestatio accipiatur latius, seu ampliatiuè, prout includit citationem; vel quod Lucius III. alternativam, utpotè dubiam ibi omiserit, non exprimenda ante litis contestationem vel citationem, adeoque alternativam ista supplenda sit ex seq. cap. 20., ubi dubium hoc videtur resolutum. Hæc interpretatio subtilis, licet modicum violenta sit, tamèn ob auctoritatem communiorem DD. ad evitandam correctionem iurium in eodem tit. retinenda est, utpotè licita per l. 2. §. 16. et l. 3. §. 13. ff. de V. J. E.—Ad 2.^m Iudicium strictè acceptum, ut dicit instantiam à lite contestata usque ad sententiam definitivam, omninò incipit à litis contestatione; at iudicium latè et integraliter sumptum, ut dicit totum tractum et processum forensem incipit à citatione, et desinit in executione. Ne autèm res dicatur integra, sufficit iudicium fuisse cœptum hoc secundo modo per citationem: quo sensu explicatur l. 15. ff. rem rat. haber. Nov. 112. c. 2. §. 4. Si verò etc.—Nec urgent lib. 16. 17. ff. et lib. 20. 22. C. de Procurat.; nam procedunt de procuratore, quod non fiat dominus litis, nisi post litem contestatam, quod ultrò fatemur.

216. Q. X. An gesta à delegato ignorante mortem delegantis sint valida? putà si delegans mortuus sit, re integra.

Affirmant Innoc. Sanch. (lib. 8. de matr. disp. 23. n. 4.) et alii, sed:

R. In rigore juris, negativè, Ità Gloss. in c. 20. h. t. v. maximè, Gonzal. ibid. n. 9. et 10. cum cit. Nam in cit. c. 20. ad hoc ut delegatus validè procedat, requiritur negotium saltèm citatione fuisse quasi cœptum, ergò. Tum quia jura clarè dicunt morte delegantis expirare jurisdictionem delegati, ut c. 30. h. t. ibi: *mandatum re integra morte mandatoris expiravit*; et c. 36. de Præb. ibi: *illa quidèm expirat omninò*. Ratio est, quia ignorantia mortis non est tribuere jurisdictionem (l. 15. ff. de jurisdic.), et in his quæ aliàs de jure sunt nulla, nihil operatur ignorantia, (l. 32. ff. de sacr. hær. l. 23. ff. de O. et A. Opposita); tamèn sententia sustinetur de æquitate per l. Barbarus ff. de off. Præt.

Dices: gesta subdelegati ignorantis mortem delegati valent; ergò et gesta delegati.

R. N. C. Nam subdelegatus operatur in virtute primi delegantis, qui supponitur vivere; delegatus autèm, mortuo delegante, in nullius virtute operari potest.

217. Q. XI. Qui sint Judices conservatores?

R. Sunt ii, qui dantur à Papa, vel alio summo Principe ad defendendum aliquos ab injuriis et violentiis manifestis, absque indagine judiciali (c. fin. h. t. in 6.). Undè, conservatoris, qui debet esse persona in dignitate ecclesiastica constituta, pro defendendis Clericis vel Regg. officium est, jura pristina tueri adversus manifestas violentias.

* Circa conservatores vide notata Elencho VI. numer. 32. "

TITULUS XXX.

DE OFFICIO LEGATI. ^a

218. Nota I. Legatum Apostolicum, de quo hic agitur, in genere esse illum, qui à Papa mittitur ad certam Provinciam cum potestate administrandi negotia Ecclesiastica. Et quidèm, si legatio est sine jurisdictione, legatus est merus *Internuncius*, *Orator*. seu ut vulgò dicitur ex hispanico *Embajador*; si verò est cum jurisdictione gubernandi Provinciam, legatus est *judex* ordinaria præditus potestate, licet in eo, quod vices mittentis agat, imitetur *delegatum*, atque ità medius sit inter legatum, et ordinarium.

Nota. II. Legatos iudices esse in triplici classe: nam:—1.^o sunt *legati à latere*, seu Cardinales, Papæ tanquàm capiti à latere assistentes, qui mittuntur à Papa in gravioribus et extraordinariis negotiis, ut ad præsidendum Concilio, ad pacem inter Principes componendam etc.—2.^o *Legati missi*, seu *Nuncii Apostolici*, qui de ordinario mittuntur ad gubernandam certam Provinciam, uti est Nuncius Apostolicus Matriti, etc.—3.^o *Legati nati*, quorum dignitati perpetuò annexum est munus legationis, ac proinde hoc ipso nascuntur legati quòd creentur in tali dignitate. Cujusmodi sunt Archiepiscopi, Salisburgensis in Germania, Rhemensis in Gallia, Toletanus in Hispania, Pragensis in Bohemia etc. Plerumque sunt Primates regnorum.

Jam circa constitutionem et potestatem legatorum.

219. Q. I. Quo modo constituantur legati Apostolici?

R. Legatus à latere, et missus constituitur mandato Papæ: seu litteris legationem continentibus (c. 2. h. t. in 6.) Et quia legatio est facti, probari debet per litteras ab eo qui asserit se legatum missum (arg. c. 31. de off. Del. et l. 1. C. de mand. princ.) Cardinali autèm ob prærogativam suæ dignitatis meritò creditur, nisi quid speciale sibi commissum asserat; tunc enim de hoc ipso per litteras authenticas docere debet, licet in praxi raro talis probatio exigatur. Legatus autèm natus eo modo constituitur, quo creatur in dignitate habenti annexum jus legationis.

220. Q. II. Quid quisque legatus possit, vel non possit?

R. Generatim loquendo, quisque loco Papæ exercere potest jurisdictionem ordinariam in fideles suæ Provinciæ. In specie autèm ad legatos pertinet:—1.^o Reformare mores etiàm in Episcopis, quibus sunt superiores.—2.^o Deducere in usum constitutiones Papæes, vel si provinciæ minis

a.—Agitur de hac materia in Sexto h. t.—In Decreto dist. 21. c. 2. d. 94. et 97. per tot. et Can. 7. in prim. 2. q. 1. et Can. 39. pervenit 11. q. 1.—In Trid. sess. 24. c. 20. v. Legati et sess. 22. c. 7. de refor. ubi præcipitur observari c. 3. Romana de appellat. in 6.—Item ex Pandectis congruit tit. de off. Procon. et tit. de off. Præsidis,—et ex Codice tit. de mandatis princip.

congruant, de hoc Papam informare.—3.º Concedere statuta perpetua more Proconsulum et præsidum provinciarum, quæ durant etiã legatione finita (*c. fin. h. t.*)—4.º Deniquè ea omnia facere quæ potest Ordinarius in sua Provincia, nisi specialiter sint excepta *c. 2. eod. in 6.*

Econtrà Legatus non potest cognoscere causam commissam legato Apostolico, quo in hac est inferior; nec immiscere se causæ translatae ad Sedem Apostolicam; nec transferre Episcopos, unire, vel dividere episcopatus, constituere Primatem, vel alia facere, quæ specialiter Sedi Apostolicæ reservata sunt (*c. 2. 3. 4. 5. h. t.*) Itẽm non potest adiri in prima instantia, nisi pro casibus especialiter sibi delegatis; (*Trid. sess. 24. c. 20 de ref. quo restringitur c. 1. h. t.*)

Ex constit. Bened. XIV. *Concreditum* 12. Junii 1748, Legati Apostolici in Provinciis ditionis Ecclesiasticæ nequeunt concedere in emphyteusim, aut feudum bona cameræ Apos. devoluta. Neque restitutiones in integrum adversus caducitates incursas, aut purgationes moræ: nec condemnationes, aut compositiones super responsionibus non solutis. Possunt tamẽ concedere renovationes, expleto termino convento in prioribus investituris; sicuti et consensum præstare in alienationibus bonorum, quatenus eorum utilibus possessoribus facultas ipsa alienandi, id est per contractus inter vivos nuncupatos in alios transferendi concessa est, ut in ducatu Ferrariensi: sub iisdem tamẽ pactis et conditionibus semper faciendis, quibus iisdem primi utiles possessores tenebantur; et dummodò hujusmodi alienationes non fiant in fraudem ipsius Cameræ, et ad pervertendam atque frustrandam ditorum bonorum, seu jurium devolutionem, quæ ob deficientiam successorum in investituris comprehensorum, et ad eas vocatorum, imminere dignoscatur.**

221. Q. III. *Quæ sit prærogativa et potestas Legati à latere?*

R. 1.º Hic, mox ut egreditur à residentiã civitate Papæ, more Proconsulis utitur specialibus insignibus, cum quibus ingreditur civitates et oppida sub baldachino, clero et populo solemniter eum deducente. Talia insignia sunt vestis purpurea cum veste lineã, seu byssina superiore, palafredus seu equus albus phaleratus, frænum, calcæria, deaurata etc.—2.º Ubique extra urbem absolvere potest percussores clericorum ab excommunicatione Canonis, *c. 9. h. t.*, ubi hæc potestas aliis Legatis restringitur ad provinciam suam ejusque subditos. Quia verò in his extensio non est faciendã, Legatus à latere non videtur posse absolvere ab aliis censuris reservatis.—3.º In Provincia sua exercet jurisdictionem ordinariam cumulativè, seu concurrenter cum aliis Ordinariis, itã ut quæcumque beneficia conferre possit, etiã juris patronatus ecclesiastici (*cap. 1. 2. h. t. in 6.*), exceptis beneficiis juris patronatus laici (*cap. 28. de jure patron.*), electivis ecclesiarum cathedralium, litigiosis, Papæ reservatis, et ob negligentiam Regg. exemptorum ad Episcopum devolutis (*Clem. 1. de suppl. negl.*), ubi supplere talem negligentiam specialiter attribuitur Episcopo; ut etiã beneficiis non vacantibus, quorum reservatio prohibetur Trident. (*sess. 24. c. 19. de refor.*)—4.º Legatus à latere confirmare potest electiones Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum exemptorum (*c. 36. §. fin. de elect. in 6.*); nisi obstant

specialia concordata.—5.º Jurisdictio Legati Card. extendit se etiã ad exemptos, juxta Gloss. *c. 1. h. t.*; non tamẽ ad dispensandum in ætate ad ordines, vel beneficia, vel in gradibus consanguinitatis, et aliis impedimentis, nisi hoc specialiter committatur.—6.º Legatus Card. vi consuetudinis concedere potest indulgentias 100 dierum, de jure autẽ communi tantum 40 dierum (*c. 14. de pœnit.*)—7.º Exercet legationem suam privativè ad alios Legatos, itã ut in præsentia Legati Card. conticescat jurisdictio Nuncii Apostolici *c. 8. h. t.*

222. Q. IV. *Quæ sit potestas Nuncii Apostolici?*

R. Est ordinaria in sua Provincia concurrens cum jurisdictione aliorum Ordinariorum (*c. 2. h. t. in 6.*); non tamẽ se extendit ad conferenda beneficia (*c. 1. eod.*), benè verò ad absolvendum suæ provinciæ subditos ab excommunicatione Canonis *c. 9. h. t.* Amplior potestas desumenda est ex literis, seu mandato Apostolico, quo specialia quædam concedi solent.

223. Q. V. *An Nuncius Apostolicus vi clausulæ: cum potestate legati à latere, possit simpliciter ea omnia, quæ Legatus Cardinalis?*

Affirmant Garcias, Konig, Zoes, Pichler, et alii; sed probabilius cum Barb. Reiff. etc.:

R. Negative: nam *c. 1. h. t. in 6.* Legatis non Cardinalibus, quantumcumque plenam legationem obtineant, negatur potestas conferendi beneficia quæ tamẽ competit Legatis à latere: tum quia in generali clausula seu concessione non veniunt ea, quæ speciali nota sunt digna (*reg. 81. in 6.*), et ideò Vicarius constitutus cum clausula: *ut possit omnia, quæ Episcopus*, non potest ea, quæ specialiter potest Episcopus; ut conferre beneficia, graviora negotia tractare, ergò.

Dices: ergò dicta clausula nihil operatur, cum tamẽ verba privilegii aliquid speciale operari debeant (*c. 2. de privil. in 6.*)—N. illationem; nam clausula ista operatur relativè ad contenta specialia in mandato, et vi illius Nuncius Apostolicus potest omnia, quæ sunt æqualia, vel minora expressis, non tamẽ majora, utpotè speciali nota digna (*arg. c. 13. de rescript.*)

224. Q. VI. *Quæ sit potestas Legati nati?*

R. Per se non est major, quàm potestas dignitatis Archiepiscopalis, cui perpetuò annexa est legatio, nisi ex speciali gratia Sedis Apost. amplior potestas ei concedatur (*c. 9. h. t.*); ut ordinandi extra tempora et non servatis interstitiis, absolvendi ab hæresi, cum pauperibus dispensandi in quarto, vel tertio gradu consanguinitatis; absolvendi ab excommunicatione Canonis etc.

225. Q. VII. *Quibus modis expiret potestas Legatorum?*

R. Potestas Legati nati est perpetua, utpote dignitati annexa, neque amittitur à Legato, nisi amissa dignitate. At potestas Legati à latere, et missi expirat revocatione, lapsu temporis, desertione Provinciæ animo non revertendi, et morte ipsius Legati. Morte autem Papæ legantis non expirat (*c. 2. h. t. in 6.*), cum sit potestas ordinaria simpliciter data, licet Papa moriatur, antequàm Legatus ingressus sit Provinciam.

TITULUS XXXI.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARIJ. ^a

226. *Nota I.* Judicem ordinarium juxtà rubricam *h. t.* esse Prælatum, qui ratione perpetuæ et stabilis dignitatis, seu ex proprio magistratu jurisdictionem obtinet in suo territorio. Hinc licet Legatus ordinariam jurisdictionem habeat, quia tamèn non habet perpetuam vi certi magistratus, non pertinent ad hunc titulum. Differt autèm *Ordinarius à diœcesano*, sicut genus à specie, cum diœcesanus sit Episcopus, Ordinarius verò latius pateat, neque veniat nomine diœcesani, nisi subjecta materia aliud suadeat, ut hic advertit Abbas.

Nota II. Inter judices ordinarios unum esse *summum*, uti est Papa in tota Ecclesia, ceteros verò *subalternos*. Ex his alii sunt *maiores*, ut Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi; alii *minores seu inferiores*, ut Archidiaconi, et Prælati regg. Parochus autèm tantum secundum quid est judex ordinarius, putà pro foro interno, non externo.—Hic agemus de Potestate Papæ, Episcoporum, et his majorum: de potestate autèm Prælatorum regg. commodius agetur *lib. III tit. de Regg.*, et de Parocho *tit. de Parochiis*.

227. Q. I. *Quotuplex distinguatur potestas in Papa?*

R. Quadruplex: ut Episcopi Romani, ut Patriarchæ Occidentis, ut Episcopi universalis œcumenici, seu summi Pontificis Ecclesiæ, et ut Principis politici in terris Rom. Ecclesiæ. Rursùm in Papa, sicut in alio Principe, consideratur potestas *ordinaria specie*, quæ regulariter à jure communi, ejusque ordinem sequitur; et potestas *absoluta*, seu *plenitudo Apostolicæ potestatis*, quæ est supra omne jus commune, quod Papa relaxare aut tollere potest. Itèm vi hujus potestatis seu domini alti, ex justis et publicis causis potest dominia transferre ab uno ad alterum, jura quæsita tollere, ultimas voluntates commutare, jus naturale et divinum indirectè, seu ex parte materiæ relaxare in his, in quibus Ecclesia communiter tenet Papæ divinitus talem potestatem datam esse: v. g. ad irritanda vota etiàm Religiosa, ad dissolvendum matrimonium ratum, ad dispensandum in residentia curatorum etc. Hic tamèn adverte non dici potestatem *absolutam*, ut Papa, vel alius Princeps pro placito suo, quidquid libet, possit, omnia susquè dequè faciendo, jura naturalia et divina invertendo, ut

^a—Agitur de hoc in Sexto, Clementin. et Extrav. com. *h. t.*—In Decreto *d. 21. c. 2. et seqq. d. 22. per tot. et 3. q. 7. et 9. q. 3. et 10. q. 1. 2. 3. et 18. q. 2. et 5. q. ult. c. interea, et c. fin. 3. q. 5.*—In Trident. *sess. 5. c. 1. 2. de ref. sess. 6. c. 3. 4. sess. 7. c. 5. 6. 7. sess. 13. c. 1. sess. 14. c. 3. 4. sess. 21. c. 4. 6. 8. sess. 22. c. 3. 9. 10. sess. 24. c. 4. 7. 8. 10. de refor. et sess. 25. c. 9. 11. de Regg. sess. 25. c. 1. et seq. de refor.*—In Codice *lib. 1. tit. 3. 4. Nov. 83. et 123.*

innocentes occidendo, subditos sine justa et gravissima causa suis juribus et rebus spoliando etc.; nam hæc non esset *plenitudo potestatis*, sed ut quidam dicunt, *turpitude potestatis*, cum Deus Principi, sive ecclesiastico, sive politico potestatem dederit ad regendum et curandum bonum commune, non verò ad dissipandum, spoliandum et perdendum.

228. Q. II. *Quid Papa possit vi sue potestatis?*

R. 1.^o Papa, ut Episcopus Romanus, habet jurisdictionem ordinariam in districtu Romano, quam exercet per Cardinalem urbis Vicarium—2.^o Papa, ut Patriarcha Occidentis, est judex ordinarius omnium Archiepiscoporum occidentalium.—3.^o Papa, ut Episcopus universalis Ecclesiæ, habet jurisdictionem ordinariam pro toto orbe christiano, immediatè sibi à Christo datam *Matth. 16; Quodcumque ligaveris etc. Joann. ult. Pasce oves meas.* Et vi hujus potestatis condere potest leges Ecclesiasticas pro tota Ecclesia, estque infallibilis in decidendis controversiis fidei et morum, sive intra, sive extra Concilium generale, si ut doctor œcumenicus, fideles doceat juxtà orationem et predictionem Christi *Luc. 22. Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* De qua materia fusè agunt Theologi præsertim polemici.—4.^o Papa, ut Princeps politicus, est summus judex ordinarius in terris Romanæ Ecclesiæ dominio temporalis subjectis, easque per suos ministros gubernat, sicut alii Principes seculares.

229. Q. III. *Quam jurisdictionem habeant S. R. E. Cardinales?*

R. In ecclesiis suorum titularum habent jurisdictionem ordinariam, non tam ex jure, quàm privilegio; adeòque visitare possunt Ecclesias et Clericos sibi subjectos, eorum causas etiàm criminales cognoscere, leges ferre, et alia quæ ad jurisdictionem Episcopalem spectant exercere: ut beneficia suarum Ecclesiarum conferre, quatenus eis permitunt regulæ Cancellariæ Apostolicæ. Præterea officium Cardinalium est, eligere Papam, in regenda Ecclesia eum adjuvare, schisma circa plures Pontifices dubios tollere convocacione Concilii generalis etc. Papa tamèn mortuo, jurisdictio Papalis non devolvitur ad Collegium Cardd. (*Clem. 2. de Elect.*)

230. Q. IV. *Quam jurisdictionem habeant Patriarchæ?*

R. Patriarchæ majores, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Jerosolymitanus, in toto Regno, seu territorio patriarchali habent jurisdictionem ordinariam in Archiepiscopos sibi subjectos: quæ tamèn jurisdictio hodiè quiescit, cum Ecclesiæ patriarchales sint in manibus infidelium, solo nomine et titulo, seu dignitate remanente in Ecclesia. Ceteri Patriarchæ minores, qui ex indulgentia Papæ, vel inveterata consuetudine nomen patriarchale obtinuerunt, nullam specialem potestatem de jure communi habent ut Patriarcha Venetus, Aquilejensis, Æthiopiæ, et Indiarum etc.

231. Q. V. *Quam jurisdictionem habeant Primates?*

R. Primates, qui majoribus metropolis præsident, potissimum in quatuor suam jurisdictionem exercent.—1.^o confirmant electiones Episcoporum non exemptorum, nisi concordata obsistant.—2.^o Audiunt querelas contra Archiepiscopos (*cap. 46. si Clerus 11. q. 1.*)—3.^o à sententia Archiepiscoporum appellatur ad eos.—4.^o Supplent eorum negligentiam in colla-

tione beneficiorum.—Hodiè autèm causæ majores criminales contra Archiepiscopos et Episcopos reservantur Sedi Apostolicæ; minores verò decidendæ sunt à Concilio Provinciali, vel iudicibus ab eo deputatis. (Trid. Sess. 24. cap. 5. de reform.)

232. Q. VI. *Quam jurisdictionem habent Archiepiscopi?*

R. 1.º Præter jurisdictionem diœcesanam in proprios subditos, habent etiã jurisdictionem ordinariam metropolitã in tota sua Provincia, hoc est, in suffraganeos, seu coepiscopos suæ Provinciæ, et in subditos eorum, (c. 2 per singulas 9. q. 3.) Porrò vi hujus potestatis Archiepiscopus confirmat electiones suorum suffraganeorum, eosque consecrat, nisi jure speciali aliud statuatur, sicut in Germania per concordata.—2.º Vocat Suffraganeos ad concilium Provinciale, et de causa absentia eorum cognoscit, (Trid. Sess. 24. c. 2. de ref.)—3.º Cogit illos ad officium suum præstandum servata forma c. 2 de off. deleg. in 6.; causas tamèn criminales contra illos non cognoscit, (cit. Trid. Sess. 24. c. 5 de refor.)—4.º Visitat Provinciam suam, et procurationes à visitatis percipit, servata forma c. 4 de Censib. in 6.—5.º Supplet negligentiam suffraganeorum in collatione beneficiorum (c. 3 de suppl. negl.); in constitutione œconomi (c. 3 cum simus 9. q. 3.), in absolute excommunicatorum secundùm formam (c. 8. h. t.), in exequutione ultimarum voluntatum etc.—6.º Transeundo diœceses suorum suffraganeorum curat sibi præferri crucem, celebrat in Pontificalibus, populo benedicit ubiquè, etiã in locis exemptis, ex privilegio (Clem. 2 de privil.), concedit indulgentias 40 dierum (c. 14 in fin. et 45 de pœnit.)—7.º In subditos suffraganeorum jurisdictionem non habet, nisi in certis casibus à jure expressis (c. 11. h. t. et c. 7 nullus 9. q. 3.), ne jurisdictionis Episcoporum, et ordo disciplinae ecclesiasticæ confundatur.

233. Q. VII. *Qui sint illi casus in quibus Metropolitanus jurisdictionem exercere potest in subditos Suffraganeorum?*

R. 1.º Delicta notoria quæ in visitatione Provinciæ liberè corrigere potest (c. 1. §. sanè de Cens. in 6.), uti etiã confitentes audire, et absolvere (c. fin. eod. et c. 1 de pœnis in 6.)—2.º Casus appellationis, dum subditi à sententia sui Suffraganei appellant ad Metropolitanum (c. 4 de off. Leg. c. 9. h. t. c. 3 de appell. in 6.)—3.º Si Clericus agit contra Episcopum, modò non sit causa criminalis, Metropolitanus judicat in causa civili; si verò Episcopus agit contra clericum, eligendi sunt arbitri (c. 46 si Clericus 11, q. 1.)—4.º Punire potest eos, qui injuria notoria suam jurisdictionem impediunt, vexando nuntios etc. (c. 4 de pœnit. in 6.)—5.º Potest Canonicos cessantes à divinis, præsertim si id faciant in contemptum sui Episcopi, punire, et compellere ad officium suum etiã per censuras (c. 13 §. cæterum h. t.)—6.º Potest Metropolitanus alicui prohibere prædicationis officium in tota sua Provincia, adeoque etiã in Ecclesiis suorum Suffraganeorum; imò malefactorem extra Provinciam relegare (c. 14 de priv. et c. 2 de arbitr.)—Ceterùm, Metropolitanus has et similes causas ad se delatas cognoscere debet in sua diœcesi, vel in ea, ex qua causæ delatæ sunt, nisi consuetudo aliud habeat, vel partes in alium locum consentiant, et adsit licentia Ordinarii (c. 5. h. t. in 6.), ut scil. litigantes releventur à

aboribus et expensis. Vide hic Gloss. c. 44. h. t. Barbos. et alios fusiùs de potestate Archiepiscopi scribentes.

234. Q. VIII. *Quæ potestas, et quo jure competat Episcopis?*

R. 1.º Episcopo consecrato competit potestas ordinis; et quidè jure divino vi consecrationis, et characteris Episcopalis, quam potestatem exercet in vestibus Pontificalibus, confirmando, ordinando, consecrando etc.

2.º Episcopo, etiã tantùm confirmato, competit potestas jurisdictionis, qua constituitur judex ordinarius suæ diœcesis, ità ut præsit clero et populo, totiusque disciplinae Ecclesiasticæ curam gerat. Hinc dicitur Episcopus, latinè *Superintendens*, seu *speculator* per excellentiam in jure canonico quia in suo districtu summam curam cleri et populi habet; alioquin Episcopus genericè significat quemcumque inspectorem, qui alicui negotio præest, sicut in jure civili dicuntur *Episcopi panum l. fin. §. 7. ff. de munerib. ibi; itèm Episcopi qui præsumt panum etc.*

3.º Potestas jurisdictionis competit Episcopis mediatè et originatè jure divino, quatenùs Christus in Ecclesia sua instituit ordinem hierarchicum constantem Episcopis, Presbyteris, et aliis ministris. (Trid. sess. 23. c. 6.) At immediatè et formaliter potestas ista jurisdictionis competit eis jure humano ecclesiastico, ut communis tenet contra Petr. Soto, de Castro, et alios. Nam omnis jurisdictio ecclesiastica derivatur à Petro, ejusque successore Romano Pontifice, tanquàm summo Principe Ecclesiastico, et Vicario Christi, ut frequenter insinuant sac. Canones; ergò ceteris Episcopis jurisdictio competit immediatè et formaliter jure humano ecclesiastico.

Ant. prob. ex c. 4. d. 22 ubi Nicolaus I. ait: *Omnes sive Patriarchii cujuslibet apices, sive Metropoleon primatus, aut Episcopatum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia, illam verò solus fundavit Christus etc.*—Idem habetur cap. 2 et seqq. *ibid.* et Canon. 18 v. *Episcopatus 24 quæst. 4* ubi Ecclesiæ particulares dicuntur procedere ab Ecclesia œcumenica Romana, tanquàm radii à sole, rami à radice, rivuli à fonte, et cap. 4 de auctor. et usu pall. Innoc. III dicit reliquos Episcopos *vocatos esse in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*; quia juxtà Canon. 12 *qui 2 quæst. 6.* Ecclesia prima reliquis ecclesiis vices suas credidit largiendas etc.—Id ipsum docet S. D. 2. 2. *quæst. 39 art. 3* dicens potestatem ordinis haberi indelebiter per consecrationem, adeoque jure divino; potestatem verò jurisdictionis per simplicem inunctionem hominis, seu jure humano. Ratio est à posteriori, quia Romanus Pontifex Episcopos instituit, confirmat, transfert, Episcopatus erigit, dividit, unit, et exigente causa jurisdictionem Episcoporum tollit; quæ omnia sunt signa, quod jurisdictio ista à Papa derivata sit in Episcopos.

Dices. Juxta *cit. Can. 48. cæteri Apostoli erant cum Petro pari consortio præditi et honoris, et potestatis*; Episcopi autèm succedunt ceteris Apostolis: ergò habent potestatem à Christo datam, et consequenter de jure divino, secundùm illud *Actor. 20. v. 28. ibi: in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

R. S. Cypr. clarè ibi probat Ecclesiam esse unicam ab unico fundamento, cui dixit Christus: *Tu est Petrus* etc. ac proinde par ista potestas principaliter fuit in Petro, et derivativè, seu per delegationem in ceteris Apostolis, ut docet S. Leo relatus in *Canon. 7. ità d. 19.* Imò, dato quòd potestas Apostolorum fuerit juris divini, exindè non sequitur aliis Episcopis eadem, et eodem modo communicari potestatem; alias in toto orbe prædicare possent, sicut Apostoli.—*Nec obstat textus cit. Act. 20.* et alii similes quia plus non probant, quàm potestatem Episcoporum et Presbyterorum esse juris divini originativè et mediata, cum Spiritus Sanctus dicatur facere, quòd facit Ecclesia à Spiritu Sancto directa juxta illud *Ephes. 4. Deus posuit quosdam Apostolos, alios doctores, etc.*

235. Q. IX. *In quo consistat potestas Episcoporum?*

R. Potissimum in duplici lege: *diœcesana, et jurisdictionali*, (*arg. c. 48. h. t.*); quas leges varii variè explicant apud Fagn. *cit. c. Præplacet interpretatio Glossæ.* Juxta quam *lex diœcesana* est; quæ concernit ea, quæ consistunt *in recipiendo*, seu *in dulci passione*, hoc est; quæ Episcopus ab aliis recipere de jure potest: *Lex jurisdictionis* est, quæ concernit ea quæ consistunt *in agendo*, seu *dando*, dum Episcopus per actionem suam aliis quidpiam conferre debet. Enumerantur ferè omnia ad utramque legem spectantia (*c. 46. h. t.*)

Undè AD LEGEM DIOECESANAM spectant:—1.º *Cathedraticum*, seu pensio duorum solidorum, seu aureorum quotannis solvenda in synodo, ob quòd etiàm *synodaticum* dicitur.

Hoc neque immemorabili contraria consuetudine scribitur (*ex decreto Cong. Conc. 6. Junii 1693. in Lavellen. cathedratic. lib. 43. decretor. pag. 264.*), et debetur de omnibus beneficiis etiàm simplicibus, exceptis capellaniis laicalibus, et ad nutum amovibilibus, ut ex altero ejusdem Cong. *decr. (29. Apr. 1731. in Naceraten.)* Et si nemo uni, eidemque Ecclesiæ inservientium suam distinctam possideat præbendam, sed singuli sustentur ex massa communi, tunc unicum, debetur ab omnibus ex eadem massa persolvendum ut sancitum est à Benedicto XIII. in Conc. Rom. 1725. tit. 8. cap. 4. ubi etiàm assignatur taxa pro unoquoque beneficio.

Ad cathedraticum tenentur etiàm Confraternitates canonicè erectæ habentes propriam Ecclesiam, non verò si habeant simplicem tantum capellam in honorem Sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ (*ex decretis d. Cong. 24. Jul. 1734. in Firman. et 20. Mart. 1745. in Urbevetan.*)

Et quamvis solvi consueverit in synodo, solvi tamèn debet quotannis, licèt hæc non celebretur, cum debeatur Episcopo à die adeptæ possessionis suæ Ecclesiæ, ut ex tribus aliis decret. præfatæ Congreg. relatis à Bened. XIV. (*lib. V. de synod. diœc. cap. 7. num. 7.*): si verò esset consuetudo legitime præscripta illud non solvendi, nisi in synodo, licèt absolutè præscribi nequeat, potest tamèn hæc consuetudo minuere onus hujusmodi solutionis; ità ut non debeatur pro singulis annis, in quibus synodus non est coacta, ut probat idem Benet. (*cit. cap. num. 8.*) ubi: *Siquidem eo ipso quòd aliquando, et in aliqua etiàm minima quantitate est solvendum, jam servatur honor debitus cathedræ Episcopali, contra quam duntaxat præscri-*

bi non potest.—Contra eos, qui sunt in mora illud solvendi ex decreto particularis Congr. deputatæ à Clemen. XII. 3. Oct. 1731. relato dicto c. 7. n. 9.) unica sufficit citatio cum præfixione termini quinque dierum ante expeditionem mandati exequentivi, qua præmissa, ad exequentionem procedi potest absque alià nova citatione. "

2.º *Subsidium charitativum*, seu moderata pensio ob justam causam Clericis imposita, et Episcopo solvenda.

3.º *Quarta decimationum*, seu quarta pars decimarum Episcopo danda, quæ hodiè exolevit.

4.º *Quarta mortuorum*, seu *funeralium* debita Episcopo ex legatis, et oblationibus funeralibus Ecclesiæ relictis. Hæc, quæ debetur in vim *cap. Requisisti 13. de testam.* imitatur naturam cathedratici, iisdemque prorsus subjacet juris regulis, quæ in illius solutione servantur. *Sunt verba Benet. XIV. loc. cit. n. 10.* "

5.º *Tertia pars oblationum.*

6.º *Procuraciones*, seu *moderata victualia* Episcopo visitanti debita, quamvis ceu accessoria visitationis, commodius referantur ad legem jurisdictionis.

7.º *Convocatio ad synodum*, saltèm ut est convocatio, cui subditi parere debent: nam quatenus est iudicium in synodo, pertinet ad legem jurisdictionis. Jam si quis præter hos casus jure expressos, asserat aliquid pertinere ad legem diœcesanam, probare tenetur, cum Episcopus pro jurisdictione sua per totam diœcesim habeat intentionem fundatam in jure (*cit. c. 46. h. t.*)

AD LEGEM JURISDICTIONIS spectant omnia alia, quæ Episcopus ità facere potest in sua diœcesi, sicut Papa in tota Ecclesia, exceptis iis, quæ Papæ specialiter reservantur, et quæ determinata sunt in jure communi, cui Episcopi subjiciuntur. Hinc Episcopus condere potest statuta pro sua diœcesi, eam visitare, judicare, et punire delicta ad forum ecclesiasticum pertinentia, prædicare, sacramenta administrare, clericos ordinare, in beneficiis instituere, in dedicatione Ecclesiæ indulgentias unius anni, et in anniversario dedicationis 40 dierum concedere, et hujusmodi. Ceterum Episcopus cum omnibus suis clericis cumulativam habet potestatem pro foro externo et interno, ità ut inter Archidiaconum, vel Parochum et Episcopum locus sit præventioni, nisi quis ex privilegio, vel legitima præscriptione obtineat jurisdictionem privativè, seu excluso Episcopo (*c. 48. de præscript.*)

236. Q. X. *Quæ Ecclesiæ teneantur lege diœcesana, et jurisdictionali?*

R. 1.º Ecclesiæ seculares utraque lege tenentur de jure communi, nisi jure speciali probent suam exemptionem.—2.º Ecclesiæ regulares, seu monasteria etiàm Episcopo subjecta, de jure communi eximuntur à lege diœcesana, idque in favorem Religionis, (*Can. 1. si ex laicis 10. q. 1. et Can. 8. inter 10. q. 3.*), ibi: *monasterium tamèn basilicis ab hac solutionis pensione sejunctis.* Et *arg. c. 48. h. t.* excipiuntur capellæ, et Parochiæ, etiàm monasteriis incorporatæ, quæ substant legi diœcesanæ. (*c. 46. h. t.*) Insuper